DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS BRISCO OWEN,

Cambro-Brittannus,

CHIRURGUS,

LINN. SOCIET., ET SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσιν. EURIP.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

PATRI SUO

OWENO OWEN, MEDICO,

DE BELLOMARISCO,

IN INSULA *MONA*;

ROBERTUS BRISCO OWEN,

S. P. D.

TIBI, mi carissime Pater, opusculum hoc liceat dicare; si quid boni insit ab ea qua per te tam liberaliter institutus sum, educatione provenisse scias—tibi ut placeat in votis est. Intra tuos equidem penates, optimis ad eas artes quibus a puero deditus fui, præceptis imbutus sum, imprimis ad πραξιν *medicinæ; et quoniam morbum de quo pauca mox prolaturus sum, una cum pluribus ejus exemplis, ex tuis præcepti sexitu felicissimo curatum, non alibi modo, sed et in urbis hujus Nosocomio Regali sæpenumero vidi, quæ sequuntur haud prorsus abs re fore spero.*—VALE.

VIRO REVERENDO

OWENO OWEN, A. M.

COLLEGII JESU OXONIENSIS SOCIO,

FRATRI SUO,

OB

CONSILIA AMICISSIMA,

CURAMQUE VERE FRATERNAM,

HOCCE TENTAMEN,

"PARVUM NON PARVÆ PIGNUS AMICITIÆ"

DICAT

AUCTOR.

PRÆCEPTORI SUO OPTIMO,

ET AMICO DILECTISSIMO,

JOANNI THATCHER, M. D.

COLLEG. REGAL. MEDIC. EDIN. SOCIO,

NECNON

ARTIS OBSTETRICIÆ PRÆLECTORI,

&c. &c. &c.

VIRO HAUD MINUS VIRTUTIBUS QUAM

SCIENTIA EXORNATO,

HANCCE DISSERTATIONEM,

AMICITIÆ PIGNUS SINCERUM,

DICAT

AUCTOR.

PNEUMONIA.

&c. &c. &c.

DUABUS praecipue de causis pauca quaedam super Pneumonia dicere in animo est, et quod apud nostrates vix aliis morbis frequentior, et in nullo curando majore medici peritia opus sit: de optimis et opportune quidem adhibitis rationibus, curantis successus pendet. Ex visceribus nullum ab externis prius afficitur quam pulmo, nullum

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Auctore Roberto Brisco Owen.

PROŒMIUM.

Duabus præcipue de causis pauca quædam super Pneumonia dicere in animo est, et quod apud nostrates vix alius morbus frequentior, et in nullo curando majore medici peritia opus sit: de optimis et opportune quidem adhibitis rationibus, curantis successus pendet. Ex visceribus nullum ab externis prius afficitur quam pulmo, nullum

tenuiori textura, nec proinde ad inflammationem proclivius quam hoc, de quo deinceps.

DEFINITIO ET HISTORIA.

Apud Cullenum, "De Nosologia," Pneumonia sic definitur: "Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis, tussis." Pulmonis inflammatio, utcunque sedem variaverit, ex supradictis indiciis cognosci potest. Raro non advenit cum frigore quodam, aliisque pyrexiæ signis comitata. Arteriarum pulsus, ut in omnibus aliis ubi inflammatio adest, ita in hoc morbo, durus est, frequens, et plenus; lingua fere alba, urina vero coloratior. "Pulsus autem durus in omnibus fere morbis acutis inflammatoriis observatur, ob cruorem densum et compactum difficilius per

fines capillares transeuntem *." Sed procedente morbo, et sanguine per pulmonem vix transeunte, tam tenuis et mollis fit pulsus, ut imperitum fallere possit.

Pneumonia cum aliis morbis aliquando conjuncta occurrit, præsertim cum typhis gravioribus, quod ubi fit, mirum quantum species ejus inter se discrepant: quinimo vix alius morbus plures (ut ita dicam) personas induere solet. Huic sententiæ assentitur VAN SWIETEN, in Commentariis, qui pleuritidem (quæ morbi hujusce species est) tractando, ita loquitur: "Mirabilem enim hunc morbum varias induere larvas posse, et quævis alia mala mentiri."

Pneumonia, ineunte vere, aut ante æstatis ingressum, sæpius grassatur. Maximum hujus morbi et gravissimum indicium, nempe spiritus

---

* VAN SWIET. Comment. p. 875.

difficultas, præsertim ubi hauritur, imprimis notandum. In ducendo spiritum quam reddendo majorem esse difficultatem invenimus; nec mirum, pulmone enim, ducto spiritu, distento, partes ejus teneræ inflammatæque separantur, et dolor augeatur necesse est; quare spiritus dum redditur, minorem ægrotanti molestiam affert. Unde fit, ut pulmonis morbo laborantes, quo dolorem quantum fieri possit, effugiant, vix spiritum hauriunt; et sic morbus augetur, quo cum suppuratione simul ingravescente, et ad ultima tendente, pectoris dolor remittit, et vix, spiritu ad plenum quidem ducto, sentitur. "Vidi tabem mortiferam, ubi pulmones inventi sunt penitus corrupti, et tamen per totam ægrotationem nullus fuerat pectoris dolor, neque ulla difficultas in utrumlibet latus cubandi *." Quod tamen sæpius accidere solet, cum strumosos vel ad scrofulam proniores morbus hic incesserit.

---

* HEBERD. Comment. cap. 72.

Spiritus quoque difficultas gravior fit in hoc quam in illud latus cubanti: Fere major est si quis in latus affectum cubaverit, etsi aliquando e contrario evenit. Sæpe in neutrum latus sine molestia cubare licet, et supinum modo corpus dolore caret; est ubi ne nisi recta quodammodo cervice spiritus facile trahatur.

Tussis plus minusve molestiæ affert, modo arida et sine ulla expectoratione, præsertim sub morbi initium, sed frequentius etiam a principio humida est, et pituita quæ excreatur, spissitudine et colore varia, cruore sæpe striata. "Sed procedente morbo copiosior est et magis concocta, sanguine etiamnum permixto *."

Dolor in hoc morbo modo acutus, nonnunquam tamen hebetior est, cum gravitate quadam pectoris: certa plerumque sede manet; est tamen ubi plures

---

* SYDENHAM, sect. vi.

thoracis partes percurrit. Quoniam non iisdem semper indiciis comitatur, ita nomen variare solet Pneumonia, quod minime oportet: a Pleuritide diversa vix habeatur; et pauca quidem sunt indicia quibus hæc ab illa ante mortem laborantis dignoscatur. Horum morborum definitiones apud CULLENUM diligenter inspicienti, paulum oppido inter se differre inveniuntur, et ne differentiam quidem ubique notare licet. Huic nostræ sententiæ celeberrimi quidam scriptores assentiuntur; inter quos HALLERUM et MORGAGNI memorare libet, qui lateris inflammationem esse negant, nisi ubi pulmo ipse imprimis fuerit affectus. Fac autem latera primam esse morbi sedem; ea affore indicia haud verisimile est, per quæ inflammationis sedes certo dignoscatur. Hoc quoque notare licet, distinctionis etiam potestate concessa, eandem fore singulorum curationem; quamobrem ex tali invento, nihil idoneum exoriri posse satis constat.

TERMINATIO.

Qua ratione morbus hic terminari solet, jam paucis expediam.

Inflammationes pulmonariæ, sicut aliæ quælibet, vel resolutione vel suppuratione, vel denique gangræna, finiri possunt. Sed præter hæc tria finiendi genera, Pneumoniæ est aliud quoque sibi proprium, nempe, suffocatio fatalis, a sanguinis in cellulas, ex quibus pulmo contexitur, effusione orta, quo fit ut necessaria per pulmonem circulatio impediatur. A plurimis eorum qui hanc rem tractaverunt scriptis, et ab eo quod ipse insuper in tali morbo laborantibus notavi, adducor ut proximam hancce terminationem frequentiorem esse credam, si modo morbus fuerit fatalis. Plurium equidem pulmonis morbo abreptorum cadavera

vidi incisa, quorum singulis ob talem sanguinis effusionem mors obtigit. Quinetiam cadavera incidentes, thoracis et pericardii cava humore quodam seroso abundantia quandoque invenimus. Bronchiarum quoque cavis hujusmodi effusio non raro adest. In plerisque ubi plena fit expectoratio, magnam ejus partem ab humore supradicto effuso, minime autem a mucosis bronchiarum folliculis, solummodo oriri, putandum est; unde rationem reddi posse videtur, cur expectoratio sit toties purulenta.

V. Cl. Culleno visum est, inflammationem pulmonariam raro per resolutionem finiri, nisi evacuationem quandam prius fuisse constiterit; et aliquando fit, ut epistaxis mature admodum superveniens morbum tollat; quod tamen minus sæpe accidit. Plena expectoratio, pituita sine labore ejecta, ad resolutionem promovendam multum facit, quam sæpe subsequitur sudor calidus effusus, arteriarum pulsus minus frequens, aliaque febris indicia.

CAUSÆ.

PULMONIS inflammatio ex frigore corpori adhibito sæpius oritur, præsertim siquis calorem frigore subito mutaverit, unde sudor impediatur, et pulmo qui et ipse simul ex frigore male afficitur, laboret necesse est. Homines etiam singulari quovis corporis temperamento, et mares quam fœminas, ad hunc morbum procliviores invenimus. Sic quibus est plethora et inflammatoria corporis διαθεσις, supra-dictis potissimum causis subjici videntur. Apud SYDENHAMUM, in libro cui titulo est "Opera Omnia," legimus, "Temperamento sanguineo præditos præ reliquis aggreditur; sæpe etiam rusticos, et duro jam fractos membra labore." Qui in eas ad vi-

tam sustinendam artes incumbunt per quas post magnum calorem fieri solet ut ventis asperis vel auræ frigidiori subito objiciantur, pulmonibus sæpius laborant. Historiam ejus conficiens affirmavi pneumoniam fere ineunte vere vel ante æstatis ingressum homines aggredi; in iis tamen regionibus ubi plures sunt caloris et frigoris vicissitudines, nullis non anni temporibus grassari solet.

Aliæ quædam causæ remotiores morbum hunc aliqua ex parte vel gignere vel saltem augere possunt, in ea quam supra dixi corporis constitutione; quales sunt nimia exercitatio, tibiarum vel similium usus, ex quibus fit ut pulmonibus noceatur.

PROGNOSIS.

In hac ut in omnibus aliis inflammationibus acutis, prognosis ex indiciis præcipue ducenda erit, haud sine respectu ad ægroti constitutionem.

Periculum quantum sit, ex spirandi difficultate necnon ex vi pyrexiæ judicari possit. Inter pessima morbi indicia habenda est tussis arida sine ulla vel cum minima expectoratione, ex quo fit ut dolor simul et morbus perpetuo increscant. Delirium quod aliquando supervenit, imprimis timendum.

Pneumonia mortem allatura post tertiam fere, ante septimam vero diem ægrotantis vitam tol-

lit; quod tamen in paucis quibusdam fit tardius. Si morbi, sicut aliquando evenit, sit interea remissio, qui tamen postea cum eadem qua antea vi revertatur, valde cavenda erit prognosis, quoniam talibus maximum impendet periculum. Si morbus in quintam post decimam diem duraverit, per suppurationem finietur.

Optimum indicium, præsertim si dolor sit internus et spirandi difficultas non maxima, habendum est extra cutem ἐρυσίπελας.

CURATIO.

Ex ante-dictis satis constat Pneumoniam eum esse morbum in quo inter prima enitendum, ut circulationis plena ex superante materia vis quamprimum minuatur; hoc autem præcipue per de-

pletionem fieri debet: ad id vero ex brachio, incisa vena, missus sanguis plurimum valet. Quanta ejusmodi detractio esse debet, ex morbi indiciis colligendum, et ex eo quod corpus pati posse videatur, usque ad animi deliquium. Sanguinis detractionem æquo minorem tali inflammatione laborantibus vulgo adhiberi puto: quæ res quantum periculi afferat satis constat, quoniam, exiguo sanguine misso, tantum absumus a minuendo ut circulationem quidem augeamus. Rarius sane fit ut simplex sanguinis detractio, quantacunque sit, morbum amoveat, et licet dolor spiritusque difficultas prima detractione valde levetur, indicia fere non longo post intervallo cum eadem qua antea vi revertuntur. Quod ubi fit, detractio quanta prius fuerit fortasse repetenda erit. Quibusdam vero ægrotis fit ut anima quam minimo sanguine misso deficiat; quæ res ut minor quam fieri debet sanguinis sit missio efficere potest. Hi autem detractionem repetitam melius patiuntur, cujus is modus sit quem morbi ratio deside-

rare videatur. Si multum sanguinis ex brachio detractum fuerit, qui gelidus colorem lividum *(buff)* præ se ferat, (quæ res διαθεσεως inflammatoriæ indicium fere habetur), et dubitatio sit utrum plus sanguinis sine discrimine mittatur, aliquod tamen vel scarificatione vel cucurbitulis adhuc detrahi possit, vel hirudinibus pectori adhibitis. Hoc imprimis faciendum si quis propter dolorem renovatum potius quam respirationis difficultatem angatur, qua in re ex parte quam proxima laboranti fiat detractio.

Hoc temporis puncto emplastrum lyttæ admotum haud inutile erit; sin minus, repetatur potius quam idem diu maneat impositum. In omnibus ubi partes affectæ natura tam tenues sunt quam pulmo, imprimis enitendum ut morbi metastasis fiat, vel quod eodem redit, ut morbus a sede sua in alteram superficiei propiorem transferatur, quod sæpe licet efficere, præsertim in hoc morbo, si ad stimulandum idonea quam proxime

ad partem affectam superimponantur, qualia sunt cataplasmata ex sinapi confecta, quæ tres horas aut quatuor, prout morbi ratio desideret, parti adhæreant.

Expectoratio in quibusdam sub morbi initium fit, quod tamen argumento ne sit quo minus sanguis mittatur: sin autem procedente morbo supervenerit, indiciis valde remissis, expectorationis ipsius fore morbi curationem, haud injuria sperare licebit; quare nulla sit hic sanguinis detractio, ne propter vires ægroti deficientes expectoratio modo sic finiatur. Una cum sanguinis missione, quicquid est regiminis antiphlogistici, ut in omnibus aliis inflammationibus, ita in hac imprimis adhibendum. Potio quidem liberalior danda est calida ex iis quæ ad diluendum idonea sunt, et ducenda alvus lotionibus quæ molliant et medicinis ejusmodi.

Morbo vero procedente, vel ad finem appropin-

quante, cum nihil præter irritationis levationem quandam ex medicinis amplius speretur, opium forsitan ad exitum felicem ducat; sin autem immature adhibeatur, nocet sæpius quam prodest. Proculdubio fieri potest ut tussis intermissio in horas quasdam hac ratione paretur, quod tamen minus optandum, siquidem nihil aliud evenire solet nisi ut inde graviora fiant febris indicia.

Somnum tali ratione paratum fere turbant phantasmata; quo excusso sudor effusus et major spirandi difficultas satis probant morbum non modo non minorem fieri sed potius increscere. Corporibus quibusdam præcipue nocet opium, qua in re si *ανῳδυνα* adhibere velimus, ex Hyoscyamo nigro fiant, vel Conio maculato quoque adjecto, quod forsan efficacius sit. Ad expectorationem procedente morbo movendam, sæpe profuit vomitus vel potius ex tartrate antimonii quod nauseam faciat. Quicquid denique ventrem emolliendi

vim habet, sive expectorationem ciendo, sive muci acrimoniam quæ tussim augere solet amovendo, id maxime idoneum invenietur.

FINIS.